

# METAPHYSICA SPECIALIS

## PARS ALTERA DE ANIMA RATIONALI

### INTRODUCTIO.

202. **Tractationis subiectum.** — Post considerationem de *Natura corporali*, recta disciplinae consecutio postulat ut de *Natura spirituali* agatur, creata primum, dein increata. Elsi vero ex divinae revelationis principiis bene multa nobis innotescunt de creaturis pure spiritualibus, quas Angelos nominamus, solius tamen naturalis rationis ductu probabilem dumtaxat notitiam de ipsa eorumdem existentia obtinere vix possumus. Quocirca de sola *Anima rationali* in praesenti tractatione disputabimus, de Deo postea acturi. Iam age, veteres Doctores Scholastici Aristotelem sequuti, sub uno communi titulo *De Anima*, quaestiones omnes comprehendebant quae tria genera animarum spectant, vegetativam scilicet, sensitivam, et rationalem. Est autem manifestum, tractatum de Anima rationali, *prout rationalis est*, ingenti discrimine separari a ceteris. Ratio huius asserti facilis est. Anima enim rationalis, forma corporis licet, materiae tamen capacitatem excedit in suo esse et operari, cum sit spiritualis et operationem sibi propriam corpori non communem habeat: quod de gradu

animae dumtaxat vegetativae vel sensitivae dici non potest. Quare scientia de anima rationali, prout rationalis est, ipsam animam respicit, ut subiectum attributionis: hoc e converso, in ea quae versatur circa animam vegetativam vel sensitivam, est potius ipsum corpus animatum, quam anima. Hinc praeterea efficitur, ut contemplatio de anima rationali ad confinia metaphysicae, non solum accedat proxime, ut quae in praecedenti parte disputavimus, verum etiam proprio quodam iure potest et debet ut pars Metaphysicae spectari: obiectum quippe Metaphysicae est ens immateriale. Atque haec est expressa sententia Stagiritae, qui (1. *De partibus animal.* c. 1.) data opera ostendit ad philosophum *naturalem*, (disciplinam physicam scilicet), non spectare *de omni anima disserere*, sed tantum de vegetativa et sensitiva; considerationem autem *de intellectu*, ut de re a materia abstracta, *ad scientiam altiore*, quae certe alia esse non potest a Metaphysica. Ceterum, cum entia, ut ait Auctor de *Divinis Nominibus*, c. 7., ita sint ordinata ut supremum generis inferioris attingat infimum generis superioris, hinc anima rationalis, prout loquitur Angelicus (2. *Cont. Gent.* c. 68.), est quasi *quidam horizon et confinium corporeorum et incorporeorum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma*. Quare scientia de ea, tametsi iuris sit metaphysici, ut dictum est, proxime tamen consociatur cum doctrina iam tradita de anima secundum physicam considerationem formae informantis, ut in decursu tractationis manifestum fiet.

203. **Tractationis partitio, ac propria difficultas.** — Quum hic agendum sit de anima intellectiva, prout supra communem ceterarum animarum rationem evehitur, eas dumtaxat quaestiones ventilabimus quae eidem propriae sunt. Quas enim communes habet cum anima vegetativa et sensitiva, in praecedenti parte enucleatas dedimus. Comode ad tres Disputationes revocari poterunt, in quarum prima de ipsa anima rationali, h. e. de ipsius substantia seu essentia: in secunda vero et tertia de duplici eius suprema facultate, de humano scilicet intellectu et voluntate agendum erit. Patet autem, quanta sit arduitas in

re praesenti. Etsi enim facillimum est animae nostrae existentiam agnoscere; quo spectat illud Augustini; *Qui se habere animam non cognoscit, nescio an eam habeat*: facillimum tamen est de natura intima ipsius apte disserere. Imprimis enim hic maxime opus est contemplatione reflexa. Constat autem directis mentis operationibus reflexas esse difficiliore: cum enim a sensibilibus incipiat quaevis cognitio nostra, et sensus utpote reflexioni impares semper ad exteriora trahant, mens ut in seipsam redeat quasi vim sibi inferre debet. Praeterea, in physicis circa plura obiecta multiplicantur experimenta et observationes: hic vero unum tantum subiectum explorandum adest; quandoquidem conscientia non habetur nisi de propriis actibus, ad ceteros vero homines non fit transitus nisi ope inductionis ob naturae similitudinem. Accedit quod reflexio provectione tantum aetate exercetur, ideoque minime adsumus primaevae explicationi factum nostrarum, easque dumtaxat consuevit, cum iam adoleverunt. Adde etiam ingentem aliam difficultatem quae enascitur ex multiplicitate facultatum quae promiscua operatione, eaque celerrima, mentem simul percellunt: quocirca attentissima scrutatione et quasi venatione opus est, ut recta analysis uniuscuiusque minime impediatur a naturali synthesi qua inter se cohaerent. Maxima denique difficultas creatur ex mirabili animae unione cum corpore, cum videatur plane impossibile, ea existat spiritum inter et materiam: ex quo, ut suo loco apparebit, errores propemodum infiniti, lique inter se maxime oppositi, enati sunt. His de causis conandum est quam maxime, in re adeo salebrosa, investigatione non levi, animoque non nimis fidenti singula expendere: quod certe eo tutius praestabimus, quo diligentius et propius vestigias Aquinatis institemus. Constat enim, in iis praesertim quae Deum et animum humanum respiciunt, qui uberius, profundius, ac rectius Aquinate disseruerit, fuisse neminem.



## DISPUTATIO I.

### DE IPSA ANIMA RATIONALI.

#### SECTIO I.

*Utrum anima rationalis sit spiritus.*

204. **Quid proprie veniat nomine spiritus.** — Si huius vocis etymologia spectetur, eam sic expositam habes apud S. Thomam. \* Dicendum, quod *spiritus* est nomen positum ad significandam subtilitatem alienius naturae: unde dicitur tam de corporalibus quam de incorporeis. Aër enim spiritus dicitur propter subtilitatem, et exinde attractio aëris et expulsio dicitur inspiratio et respiratio: et exinde ventus etiam dicitur spiritus: et exinde etiam subtilissimi vapores, per quos diffunduntur virtutes animae in partes corporis, dicuntur spiritus. Et similiter incorporei propter suam subtilitatem dicuntur spiritus, sicut dicimus Deum spiritum, et Angelum, et animam. » (1. *Dist.* 10. q. 1. a. 4.) Porro subtilitas tribuitur corpori vel ex parvitate quantitatis vel ex paucitate materiae, ut idem S. Doctor expendit (4. *Dist.* 44. q. 2. a. 2. solut. 1.). Hinc ratio subtilitatis quae per metaphoram transfertur ad spiritualitatem rei incorporeae designandam in quadam independentia consistit tum a quantitativis dimensionibus quibus corpora suapte natura subiiciuntur, tum a potentialitate propria materiae qua constant. Cum vero corpora ideo quantitati subiiciantur, quia materia constant, nomen spi-

ritus illi substantiae tributum est, quae nec materia constat nec a materia pendet in suo esse. Quare videndum est, an et qua ratione id asserendum sit de anima rationali. Vocamus autem *animam rationalem* primum principium quo intelligimus et volumus, et ratione cuius a brutis distinguimur. Dari autem in nobis tale principium, quicquid demum illud sit, tam certum est, quam certum est dari in nobis ipsum intellectionis ac volitionis actum: hoc vero tam manifeste constat cuique, ut ipsa negatione vel dubitatione affirmetur. Licet vero hic supponere, tale principium esse substantiam, praescindendo scilicet, num a corpore distinguatur. Accidens enim potest esse quoddam principium operationis naturalis et immanentis, sed non primum, ut patet ex terminis. Utrum vero a corpore et qua ratione distinguatur, illud est quod ex thesi stabi- lienda potissimum apparebit.

#### THESIS I.

*Primum principium vitae rationalis in homine nec materia constat nec a materia dependet in esse. Haec porro immaterialitas est ratio per se primo cur sit intellectivum, ac propterea repugnat substantia spiritualis quae non sit intellectiva.*

205. **Demonstratio I. partis.** — Quod materia constat, quantitativis dimensionibus subiicitur. Atqui primum principium vitae rationalis in homine his dimensionibus subiici non potest. Ergo materia non constat. Huius argumenti propositio constat tum ex dictis [26,27], tum ex communi modo concipiendi omnium hominum, qui pro uno eodemque habent substantiam materia constantem, ac substantiam trinae dimensionis subjectam. Probatur itaque assumptio.



I. Certum est, ex conscientiae testimonio, nos intelligere obiecta omnino inextensa et indivisibilia, et quidem ita ut ipsam rationem inextensi et indivisibilitatis mente capiamus et ab opposita ratione plane distinguamus. Atqui substantia quantitativis dimensionibus subiecta, seu extensa, id praestare non potest. Probatur hoc. Nam tale obiectum nequit representari partim ab una, partim ab altera parte principii intellectivi quod supponitur extensum; siquidem est obiectum plane inextensum. Ergo necesse est, ut totum repraesentetur vel a singulis partibus huius principii, vel ab una tantum. Si hoc postremum dicatur, illud dumtaxat erit principium intellectivum; oportet autem sit inextensum, ne instauretur factum argumentum. Quod si altera fiat opilio, manifestum profertur inconveniens. Nam si singuli homines eamdem cognitionem habent eiusdem obiecti, non propterea melius sciunt, quia plures sunt. Ergo substantia ista extensa, quae fingitur singulis suis partibus idem obiectum scire, non idcirco melius ac perfectius ipsa sciret. Atqui substantia istiusmodi partibus constat naturaliter superfluis; perinde quippe intelligi obiectum indivisibile per unam, ut per multas cognitiones. Ergo in citata hypothesi profertur in medium substantia quaedam ex sua ipsa naturali constitutione partibus constans plane superfluis. Id porro est manifestum inconveniens, siquidem natura dives quidem est, sed non prodiga.

II. Certum est, principium intellectivum supra seipsum perfecta reflexione redire; quippe non modo intelligimus, sed intelligimus nos intelligere. Atqui in extenso idem numquam redit supra seipsum, sed ad summum una pars flectitur supra aliam; praeterea, per hanc replicationem res extensa priorem modificationem non attingit, sed novam induit, quam iterum reflectendo exuet, et ita in infinitum. Ergo principium intellectivum nequit esse extensum.

III. Certum est, omnes intellectiones volitionesque nostras sic a nobis elici, ut omnium simul plane conscii, easque mutuo comparemus invicem. Atqui utrumque esset

plane impossibile, si principium intellectivum esset res quaedam extensa. Prob. hoc. Ac primo quidem repugnaret praedictae conscientiae unitas. Nam impossibile est, ut quis conscientiam habeat operationis quae ab eo non elicitur. Atqui in hac hypothesi unaquaque pars suam propriam intellectionem et volitionem haberet. Ergo nulla conscientiam haberet intellectionum et volitionum aliarum. Repugnat praeterea mutua earundem comparatio. Etenim non possunt mutuo comparari quae a comparante non cognoscuntur. Atqui in hac hypothesi nihil esset eiusmodi, sed plura dumtaxat principia, quorum unumquodque suam operationem cognosceret, non alterius.

IV. Denique sic arguere licet. Principium quod intelligit, est illud ipsum quod libere vult; quippe volitio eaque libera per se consequitur cognitionem. Atqui principium intellectivum extensum pluribus partibus naturaliter constaret, quarum singulae intelligerent. Ergo singulae etiam possent libere velle. Atqui id manifestam repugnantiam continet. Nam impossibile est aliquid compositum, cuius partes possint habere ex natura rei operationes omnino oppositas et invicem repugnantes, quales sunt velle et nolle efficaciter idem. Atqui, in hypothesi quam consideramus, id plane contingeret. Apposite I. B. De Benedictis. \* Aul enim, ait, partes... heterogeneae, aut homogeneae forent. Utrouque modo possent invicem dissentire, si singulae sunt intellectivae ac liberae. Nam si sunt intellectivae inaequaliter, inaequaliter sunt etiam volitivae. Posset ergo pars una bonum aliquid... efficaciter respuere, dum illud altera pars efficaciter quaerit: una amare quod altera odit: una peccare, dum altera meretur; adeoque una beari, dum altera damnatur. Quae sane in idem individuum cadere nullatenus possunt. Hoc idem a fortiori valet, si partes sunt homogeneae. Quo enim maior est partium aequalitas, eo minor est unius ad alteram subordinatio in operando, adeoque minor in volendo consensus. \* (*Philos. Peripat.* to. 4. lib. 2. q. 3. c. 2.)

206. **Demonstratio II. partis.** — Generale argumentum huc redit. Ea substantia dicitur pendere in esse



a materia, cuius esse per se primo est actus materiae, quod scilicet nequit intelligi nisi in concrezione cum materia. Cum vero actus secundus, qui est operatio, non possit excedere perfectionem principii a quo procedit et cui immanet, oportet, cuius esse nequit intelligi nisi in concrezione cum materia, eandem a materia dependentiam habeat omnis eius operatio ab eo procedens eique immanens. Si itaque operatio intelligendi et volendi capacitatem organi corporalis excedunt, eandem excellentiam habeat necesse est substantialis perfectio principii intellectualis a quo procedunt, atque adeo ei non idem sit naturaliter esse quam esse in materia (1). Porro ita plane res habet in praesenti.

I. Patet hoc imprimis si consideretur amplitudo obiecti ad quod intellectiva cognitio se protendit. Intelligimus enim obiecta plane inextensa et incorporea, puta Deum, virtutem, aliaque generis eiusdem. In rebus etiam materialibus capiendis, eas plane intelligimus secundum rationes plane immateriales, utpote communes, vere et proprie,

(1) Hunc modum *explicandi et probandi* independentiam a materia, quae est propria animae intellectivae, sic praeclare exponit S. Thomas. In anima rationali considerari oportet, quia non solum absque materia et conditionibus materiae species intelligibiles recipit, sed nec etiam in eius propria operatione possibile est communicare aliquid organum corporale, ut sic aliquid corporeum sit organum intelligendi, sicut oculus est organum videndi, ut probatur in 3. de Anima. Et sic oportet quod anima intellectiva per se agat, utpote propriam operationem habens absque corporis commanione. Et quia unum, quodque agit secundum quod est actu, oportet quod anima intellectiva habeat esse per se absolutum non dependens a corpore. Formae enim quae habent esse dependens a materia vel subiecto, non habent per se operationem: non enim calor agit sed calidum. Et propter hoc posteriores philosophi iudicaverunt, partem animae intellectivae esse aliquid per se subsistens. Dicit enim Philosophus (3. De Anima), quod intellectus est substantia quaedam et non corruptibilis. Et in idem reddi dictum Platonis ponentis (Dial. de Pulchro), animam immortalem et per se subsistentem, ex eo quod movet seipsam: large enim accipit motum pro omni operatione, ut sic intelligatur, quod intellectus movet seipsam, quia a seipso operatur. (Qq. Disp. De Anima, a. 1.)

rebus etiam immaterialibus, ut sunt ratio entis, substantiae, et sexcenta alia. Atqui talis cognitio non potest esse organica. Ratio est, quia cum cognitio perficiatur secundum vitalem assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, modus essendi istius in cognoscente est secundum modum essendi ipsiusmet cognoscentis. Si igitur cognitio sit organica, oportet modus essendi intentionalis quem res cognita tali cognitione acquirit, organicus sit, materialis scilicet et extensus, ut videre licet in actu sentiendi. Atqui evidens est, tali repraesentandi modo non posse rem indivisibilem et immaterialem, quia talem, cognoscenti exhiberi. Nec refert, quod intelligamus incorporea per analogiam quamdam ad res corporeas. Etsi enim talis analogia revera datur, si spectatur phantasma quod comitari solet actum intellectionis; etsi etiam aliquo modo existit in ipsa simplici intellectuali apprehensione, ut suo loco exponemus: ipse tamen *iudicandi actus*, quo maxime perficitur intellectualis cognitio, recta, ut ita dicam, tendit ad ipsam obiecti simplicitatem et immaterialitatem menti exhibendam: siquidem optime scimus, res incorporeas minime in se habere modum illum analogicae repraesentationis quo apprehendi solent. Quare optime Suarez. "Licet intellectus animae coniunctae corpori non concipiat propriam entitatem Dei, aut Angeli, nec illum repraesentet, vel apprehendat eius spiritualitatem aut modum essendi, prout est in se; nihilominus, quantum ad actum iudicii, vere cognoscit, illas substantias esse immateriales, et incorporeas, et alterius ordinis a substantiis quantitati subiectis: qui actus non potest cadere in sensum. Quin potius ad ferendum hoc iudicium elevatur mens nostra supra sensus, et vincit illos, a sensibilibus abstrahendo, ut de spiritualibus, quatenus talia sunt, indicare possit. Ergo talis actus spiritualis est." (De Anima, lib. 1. c. 9. n. 21.)

II. Alterum praeceptum argumentum ducitur ex modo intelligendi, qui manifeste apparet alius omnino a modo operandi facultatis organicae. Etenim primo, facultas organica non potest supra seipsam completa reflexione redire, ut ante diximus: id contra maxime praestat intel-



ctus. Praeterea facultas organica, organo per aetatem debilitato, cognitionem imperfectiorem habet, ut apparet in senibus: intellectiva virtus e converso, dummodo eius exercitium per accidens non impediatur, aetate acrior et perfectior est, ut in senectute cernere licet, in qua, etsi homo corpore utitur languidiore, tamen mentis acumine, iudicii maturitate, consilii prudentia excellit. Denique, ut optime arguit S. Thomas: "Sensus corrumpitur ab excellenti sensibili: intellectus autem non corrumpitur ab intelligibili excellentia; quin immo qui intelligit maiora, potest melius postmodum minora intelligere." (2. *Cont. Gent.* c. 66.)

III. Accedit postremo manifesta demonstratio ex parte voluntatis, eaque duplex. Primo quidem propterea quod animus noster spiritualibus rebus maxime delectatur, et quasi pascitur ac nutritur. Atqui unumquodque delectatur in rebus sibi similibus et cognatis. Haec ratione antiqui philosophi utebantur ad animae spiritualitatem evincendam, ut refert Tertullianus (*De Anima*, c. 6.). *Quia, ait, omne corpus corporalibus ali indicant, animam vero, ut incorporalem, incorporalibus sapientiae scilicet studiis.* Deinde omnis materialis virtus, quemadmodum non habet esse nisi in organo corporali, ita subicitur necesse est exterioribus agentibus quibus ipsum organum subicitur. Atqui contra omnino accidit in voluntate propter arbitrii libertatem. Ex quo tertio sic arguimus cum S. Thoma (2. *Cont. Gent.* c. 66.). Omnia agentia materialia quae experimur, tametsi cognitione et appetitu elicit non destituuntur, determinatam operationem et uniformem modum habent operandi, sicut omnis hirundo similiter nidificat. Ergo haec determinatio ex materialitate provenit. Atqui intellectus et voluntas se habet ad diversa et opposita. Ergo signum est eas esse facultates plane immateriales.

207. **Demonstratio III. partis.** — Intellige imprimis quid asserimus. Dicitur aliquid *per se primo* alicui subiecto convenire, quod ei convenit, non solum necessario, sed etiam contingibiliter: quo modo habere tres angulos aequales duobus rectis per se primo praedicatur,

non de triangulo isoscele, sed de triangulo absolute [*Pr. Ph.* 66]. Quaeritur itaque in praesenti, an ratio intellectivi et ratio spiritus sic invicem connexae existant, ut haec a priori sit plane inseparabilis. Id porro ideo expendimus, ut *perfecta* demonstratione constet, proximam et ontologicam radicem intellectualitatis in ipsa substantiae spiritualitate inveniri: siquidem ope perfectae demonstrationis eiusmodi praedicata de subiecto ostendere oportet [*Pr. Ph.* 392].

Iam age, en argumentum. Quo magis aliquid a materialitate recedit, eo perfectius divinae actualitatis similitudinem in se refert [27]. Hinc perfectiorem nobilitatemque operationem sortiatur oportet: quandoquidem secundum essendi nobilitatem ipsa operationis nobilitas dimetienda est. Atqui substantia spiritualis corporeas plane excedit in immaterialitate, ut notum est ex terminis. Ergo eas, quaecumque illae sint, excedere etiam debet in perfectione suae operationis. Atqui rursus sensu communaturae constat, ea quae vitaliter operantur, quae talia, praestare iis quae operantur quidem, sed non vitaliter, ac similiter cognoscentia praestare non cognoscentibus. Ergo substantiae spiritualis propria et connaturalis operatio vitalis et cognoscitiva sit oportet, quo nomine appetitum quoque elicitum comprehendo, cum sit naturalis quaedam sequela cognitionis. Haec ultima consequentia manifesta est: secus enim istiusmodi substantia, immaterialis licet, in perfectione suae operationis cederet ipsis vegetabilibus ac brutis animantibus, quae substantiae quidem sunt materiales, vitalem tamen et cognoscitivam operationem habent. Si itaque operatio cuique substantiae spirituali propria vitalis et cognoscitiva sit oportet, eo ipso erit intellectualis: siquidem intellectus nihil aliud est nisi facultas immaterialiter cognoscitiva. Ergo repugnat substantia spiritualis quae non sit intellectiva, cuius scilicet propria et connaturalis operatio non est intelligere.

Praecedentem demonstrationem confirmat Angelicus elegantius plane discursu seu inductione. "Considerandum est, ait, quod cognoscentia a non cognoscentibus in hoc



distinguuntur, quia non cognoscencia nihil habent, nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius: nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata; natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem et extensionem: propter quod dicit Philosophus, 3. *De Anima*, tex. 37, quod *anima est quodammodo omnia*. Coarctatio autem formae est per materiam. Unde et supra diximus, quod formae secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quamdam infinitatem. Patet igitur quod immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva, et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. Unde in 2. *De Anima*, tex. 124, dicitur quod plantae non cognoscunt propter suam materialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia; et intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus a materia, et *immixtus*, ut dicitur in 3. *De Anima*, tex. 4... 7. \* (*Summa th. 1. p. q. 14. a. 1.*) Confer Suarez (*Metaph. D. 85. sect 3. n. 17... 22.*); item I. Kleutgen (*Filos. antica*, tratt. 9. n. 968, 969).

208. *Coroll. I.* — **Materialismi reprobatio.** — Ex tradita demonstratione manifestum est imprimis, non posse principium vitae rationalis quasi corpus aliquod censi, aut corpoream quaecumque sive complexionem, sive temperationem, sive compositionem. His verbis complectimur diversas materialismi formas ab Aristotele iampridem reprobatas (1. *De Anima*), et haec nostra aetate a non paucis resuscitatas. Generale eorumdem placitum illud est, ut praeter corpus eiusque materiam, nihil existere asseratur: quod explicant alii *mechanice* pro diverso numero, figura, motuque locali atomorum: alii *dynamice* omnia reducunt ad vires generales materiae brutae earundemque variam compositionem ac mutuum temperamentum: alii denique *physiologicè*, sistendo scilicet dumtaxat in materiali organismo. Perspicue vero elucet, quam abnormis sit eiusmodi doctrina, et aliena a dignitate humana quam in thesi vindicavimus. Accedunt alia tria digna quae considerentur.

Etenim primo, hic philosophandi modus par minime invenitur, ut pro merito explicetur ipsa vita organica sive brutorum sive vegetalium, ut abunde in praecedenti parte demonstravimus. A fortiori proinde repudiari debet, si ad vitam ipsam intellectivam extendatur. Adhuc, partes quaecumque materiales earundemque materialis compositio ac temperies perpetuo sibi succedunt et variantur assidue, immoto permanente principio intellectivo quod in nobis experimur. Ergo falsissimum est, eiusmodi principium non esse nisi corpus ipsum nostrum vel eius qualecumque modificationem. Postremo, si principium intellectivum nihil aliud esse dicitur, nisi temperamentum quoddam vel modificatio corporearum qualitatuum sive motuum, eo ipso ad genus accidentis revocatur. Atqui hoc repugnat in terminis. Ut enim paulo ante notavimus [204], hic sermo est de primo principio vitae rationalis: accidens autem potest esse quidem principium qualecumque operationis naturalis et immanentis, sed non primum.

209. *Coroll. II.* — **Lockii ceterorumque sensistarum error.** — Summa huius doctrinae in eo cernitur, ut in homine nulla cognitio et appetitio ponatur, nisi ordinis dumtaxat sensitivi. Etsi enim a nonnullis huius scholae magistris agnoscitur vis quaedam actuosa in receptas sensationes reagens, ea tamen, ut ipsos audiamus, nihil aliud praestat, nisi attentionem quamdam seu conatum, quo vividius apprehendantur obiecta sensilia, eaque iuxta positionem quam componentur invicem et componantur: ut manifestum fit insipienti statuam quam a Condillachio, sensistarum facile principe, adornatam habuimus. Hinc ortus recens ille *positivismus*, qui est commune fulcimentum incredulorum omnium nostrae aetatis. Scilicet, nihil reale seu positivum, (haec enim promiscue accipiuntur in hac schola), nisi quod experientia testatur seu phaenomena sensibilia relationesque quibus haec inter se colligantur quoad tempus et spatium. Quicquid proinde praeter haec in medium producitur, ex positivistarum mente, ut mera quaedam illusio amandari debet, cui nihil reipsa subest. Patet manifeste, hoc systemate animi spiritualitatem ra-



dicitus evelli: cognitio siquidem sensitivi ordinis organica est, non spiritualis [78]. Ex quo patet ulterius, quam pestiferae sint illationes, quas ex tali philosophandi modo in mores derivari oportet. Si enim omnis nostra cognitio intra sensitivum dumtaxat ordinem coëreatur, ipsa etiam erit suprema interna regula boni malique moralis. Quocirca ratio finis ultimi ex voluptate corporea et mensura officiorum ex utilitate desumenda est. Inmo, si rectius loqui velimus, homo et brutum una eademque communi specifica definitione concluduntur, animalis scilicet, adeoque ut eadem est utriusque species, sic eadem erit etiam utriusque moralis conditio!

210. *Coroll. III.* — **Phrenologismus seu cranioscopia.** — Haec est determinata quaedam forma seu vestis, quam materialismus vel sensismus ineunte hoc saeculo induxit. Auctorem habuit Gall, eiusque discipulum et collaboratorem Spurzheim. Summatim huc redit. Cerebrum multis distinctis organis coalescit, quae, prout magis vel minus explicantur in infante, mollem adhuc eius calvam magis etiam minusve hac illae impellunt. Hinc processu temporis externis capitis partibus durecentibus, diversas efficiunt protuberantias in calvaria pro diversitate circumvolutionum et dimensionum ipsarum. Haec porro organa cum suis respondentibus extuberationibus sunt sedes primitivarum animi facultatum, quae eorum nomine appellari queunt, quaeque sunt ipsae naturales animi propensiones, v. g. ad poësim, homicidium, amores, etc. Inter has minime adnumerantur facultates quas Metaphysici considerant, adeoque nec intellectus et voluntas: quandoquidem in hoc systemate hae sunt facultates quaedam *secundariae*, prioribus quasi subiectae earumdemque veluti attributa generalia, adeoque toties in eodem homine repetitae inveniuntur, quot sunt propensiones illae primitivae quibus ipse pollet. Si quis igitur noverit locum cuiusque facultatis in calvaria, is poterit ex protuberantiis quas in ea cernit, earumdemque dimensionibus, iudicium sumere propensionum quas quisque sortitur, quin dimetri etiam matorem minoremve intensitatem ipsarum. Quod spectat vero numerum horum organorum, Gall

plusquam viginti recensuit: Spurzheim ad quinque et triginta pervenit, ac facultates *instinctivas* in posteriore, *affectivas* in superiore media, *intellectuales* denique in anteriore parte cerebri sedere iussit. Apud alios maior etiam est numerus, ita ut nonnulli plusquam centum se in calva detexisse affirmant. Iam age, ex hac simplici enarratione manifestum fit quod initio asseruimus, hoc systemate scilicet, si retineatur, actum esse de animi spiritualitate, ideoque ad materialismum vel sensismum logica consecutione necessario deveniendum fore. Ratio est, quia intellectus et voluntas, in hoc systemate, ponuntur quasi attributa seu proprietates primitivarum facultatum quae sunt vel organa ipsa cerebri, vel organicae saltem, ideoque multiplicari dicuntur pro multitudine ipsarum. Atqui manifestum est cuique, proprietatem organi, vel organicae facultatis, et ipsam esse organicam. Ergo intellectus et voluntas, ex vi principiorum huius systematis, organicae facultates sint oportet, adeoque minime spirituales. Accedit quod nullo rationis vel experientiae momento fulcitur haec opinatio, quin factis certis saepenumero repugnat. Sic, exempligratia, cranium pectendum in se ostendit extuberationem seu organum theosophiae, dum contra extuberatione seu organum stupiditatis ostensum est in crano doctissimorum virorum! Confer haec de re Forichon (*Le matérialisme et la phrénologie combattus dans ses fondemens*. Paris, 1840).

#### *Solvuntur difficultates.*

211. **Obiectio I.** — Intellectus est facultas hominis. Atqui homo est substantia corporea. Ergo intellectus corporeus etiam dicendus est.

Respondeo. *Dist. mai.* Intellectus est facultas hominis, ut est suppositum seu persona quae operatur, *conc.*; ut est natura secundum quam operatur, *subdist.*; idque per se primo ut est natura quaedam corporea, *neg.*; secundum partem dumtaxat huius naturae qua materiae capacita-



tem excedit, *conc. Contradist. similiter minorem et neg. conseq.*

Ut inferius demonstraturi sumus, principium intellectivum in homine, licet immateriale, substantialiter tamen materiae coniungitur ut forma; ex qua unione, in puris hominibus, duplex resultat unitas, naturae scilicet, quae est humanitas, et personae, puta Petri vel Pauli. Cum vero suppositum seu persona sit illud quod habet esse et operatur operationes omnes naturae in qua subsistit; natura autem eiusque principia constitutiva se habent respectu suppositi per modum *formae secundum quam* operatur [Pr. Ph. 532, 648]: hoc sensu verissime Petrus vel Paulus, sicut sentit, ita ipse est qui proprie intelligit. Quod si consideretur principium ipsum formale secundum quod hae operationes eliciuntur, ingens discrimen existit inter intellectionem volitionemque, et reliquas operationes, ut sunt sentire, vegetare, etc. Nam hae sunt omnes operationes organicae, actus scilicet inhaerentes tamquam subiecto ipsi corpori animato; intellectio contra sic manet in anima ut corpori non communicetur, cum excedat capacitatem materiae corporalis. Cum enim anima humana sit suprema in nobilitate formarum, ut ait S. Thomas, in tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquam operationem et virtutem, in qua nullo modo communicat materiae corporali, et haec virtus dicitur intellectus. (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 1.) Haec modo indicasse sufficiat: uberiorem quippe declarationem paulo inferius habebunt.

**Obiectio II.** — Principium vitae rationalis in homine ab exteriori materia corporali patitur: cum corpore et secundum motum ipsius corporis movetur; corporaliter etiam movet ipsum corpus: cum corpore nascitur, adolescit, senescit, ab eoque ad vitales operationes inepto recedit. Atqui tanta dependentia inintelligibilis est in principio intellectivo plane immateriali, quod nec materia constet, nec a materia in esse dependeat.

Respondeo. *Dist. mai.* Et hae omnia ostendunt, praeter intellectionem volitionemque, plures alias easque orga-

nicae operationes ab eo principio procedere, *conc.*; et hae ostendunt, ipsam intellectionem volitionemque esse operationes organicas, *neg. Dist. pariter min.* Si tale principium non modo esset immateriale, sed etiam per modum spiritus separati, *conc.*; si, licet immateriale, cum materia tamen substantialiter coniungatur, *neg.*

Omnia quae in hac obiectione proponuntur, manifeste ostendunt, ut inferius demonstrabimus, principium intellectivum, non obstante sua spiritualitate, ut veram substantialem formam corpori uniri. Ostendunt etiam miram connexionem quae existit inter omnes operationes hominis, quaeque propterea manifesto indicio est, eas, ut ut diversas et quodammodo oppositas, ab eodem principio formali procedere, cuius est intellectio. Brevi: hae omnia minime impetunt spiritualitatem principii intellectivi, sed ostendunt illud esse animam et formam, vere et proprie, eamque unicam in uno homine.

Instabis. Ipsa intellectio per se videtur a corpore pendere. Nam ipse usus rationis ex dispositione corporis pendet, ut patet in pueris; per alterationem corporis amittitur, ut in insanis, vel impeditur, ut in dormientibus.

Respondeo. *Dist. assumptum.* Ipsa intellectio per se a corpore pendet, sicut ab obiecto intellectui proprio et comaturali in statu coniunctionis, *conc.*; tamquam ab organo quo operatio exercetur, *subdist.*; quatenus ipse actus intellectionis sit organicus, *neg.*; quatenus organica est alia operatio, phantasiae praesertim, quae requiritur ad expeditum et ordinatum usum rationis in eo statu coniunctionis, *conc.*

Apposite S. Thomas. "Corpus requiritur ad operationem intellectus, non sicut organum quo talis actio exercetur, sed ratione obiecti: phantasma enim comparatur ad intellectum sicut color ad visum. Sic autem indigere corpore non movet intellectum esse subsistentem: alioquin animal non esset aliquid subsistens, cum indigeat exterioribus sensibilibus ad sentiendum." (*Summa th.* 1. p. q. 75. a. 2. ad 3.) Ut vides, comparatio quae hic adducitur a S. Doctore, valet a fortiori. Si enim etiam aliquid



subsistens in natura completa, ut est animal, potest nihilominus ab alio pendere ratione obiecti, quid mirum si talis dependentia existat in principio intellectivo, quod est quidem res subsistens, sed in natura incompleta, cum sit pars speciei humanae? Est autem proprium obiectum intellectus corpori coniuncti natura corporalis ob substantialem unionem cum corpore animae connaturalem, ut suo loco videbimus. Cum vero talis natura praesentetur intellectui mediante phantasmate, operatio autem phantasiae sit organica, nihil mirum, si, laeso organo quo ea exercetur, ipsa non recte peragatur et sic ipse usus rationis impediatur. Quare etiam haec instantia unionem principii intellectivi cum corpore declarat, non vero eius spiritualitatem destruit. Quod vero dictum est de operatione phantasiae, proportione servata, dicatur etiam de operationibus propriis aliarum facultatum organicarum, etiam pure vegetalium, pro eo quantum inde dependet recta corporis dispositio et habitudo (1).

(1) Ex hac connexione existente animam inter et corpus cui ipsa substantialiter copulatur, enata est scientia, seu ars potius, quam *Physiognomiam* vocant, qua nimirum e corporis habitu externo indoles ipsa animae et passionis habitusque investigantur. Apud veteres eam excoluerunt potissimum Plato, Aristoteles, Galenus: aetate media, Averrhotes, M. Albertus: recentius Lavater, Camper, Blumenbach. Ex his Camper, ingenia hominum metiebatur ex varietate anguli facialis, qui est apud sinium 58°: apud Nigritas 70°: apud Tartaros, Mongolos, Sineses 85°: apud Europaeos quandoque 90°. Blumenbach, ad idem dimetiendum, considerat totam calvariae latitudinem: unde stirpes tres praecipuas distinguit: Caucasicam, Aethiopicam, Mongolicam, quibus addit secundarias, Malaiam, Americanam. Sapienter autem haec in re animadvertit elur. L. Var der Aa., ex quo hanc notam excipimus, ex his aliusque quae externam corporis conformationem spectant, probabilia tantum indicia de hominis interiore statu haberi posse. Ratio potissima est, quia anima tametsi tali corpori unita est, unde haec vel illae propensiones enascuntur, libertate tamen arbitri gaudet quoad actus morales, itemque quoad habitus contrahendos vel vincendos, ac ipsas naturales inclinationes retinendas. Accedit quod saepenumero, in rebus eiusmodi, inductio non satis est completa, aut observatio uniformis: haud raro enim facta etiam contraria observantur. (*Brevis conspectus*... lib. 5. th. 97.)

**Obiectio III.** — Non sunt figendi limites divinae virtuti. Ergo minime repugnare dicendum est, vel rem materialem evadere subiectum actus intellectivi, vel rem spiritualem non esse intellectivam.

Respondeo. *Conc. antec. neg. conseq.* Ut recte notavit S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 25. a. 3.), quae contradictionem implicant, nequeunt esse, non quia Deus illa non possit facere, sed quia, cum ipsa ratio entis in ipsis deficiat, ea minime possunt fieri sive ad esse perducii. Nullus autem lines figurit potentiae activae propterea quia non se extendat ad obiecta seu potius fitiones istiusmodi. Atqui sic res habet in duplici illa positione quae obiiicitur, ut patet ex argumentis allatis. Quod ut plenius ostendatur, animadvertere oportet, operationem quamlibet vitalem, nedum intellectivam, eiusque principium proximum quod potentia nominatur, minime posse haberi per modum accidentis ab extrinseco advenientis, ut est ex. gr. vis motrix adiuncta rei mobili. Id enim est proprium operationis cuiusque vitalis, ut fluat active ex fundo ipsius substantiae cui haec operatio tribuitur. Hinc ad determinatam actuum vitalium speciem determinatum requiritur vitae principium. Cum itaque essentiae rerum sint immutabiles, Deus non potest efficere, neque ut operatio vitalis procedat a substantia non vivente, puta a lapide, neque ut operatio intellectiva vel sensitiva procedat a re substantiali principio intelligente vel sentiente denudata. Idque potiori iure dicendum est, si referatur ad ipsam primam materiam corporalem secundum se spectatam: haec enim est quoddam principium mere passivum, a quo propterea nulla per se operatio, nedum vitalis, active procedere potest. Ad alteram vero positionem quod attinet, etsi fingatur fieri posse absolute, ut substantia spiritalis ipsa potentia intellectiva divinitus privetur, ea non desineret esse *naturaliter* intellectiva, quemadmodum nec substantia corporea desineret esse *naturaliter* quanta, etiam in hypothesi quod sua quantitate divinitus privaretur. Id autem ostendunt argumenta quae prodximus, operationem scilicet intellectivam esse propriam et connaturalem operationem sub-



stantiae cuiuslibet spiritualis; ex quo manifeste consequitur, potentiam ipsam quae est proximum principium talis operationis, esse accidens, non commune, sed proprium talis substantiae. Quare S. Thomas. \* Cum potentiae animae sint naturales proprietates speciem consequentes, anima non potest sine his esse. Dato autem, quod sine his esset, adhuc tamen anima diceretur secundum speciem suam intellectualis vel rationalis, non quia actu haberet has potentias, sed propter speciem talis essentiae ex qua natae sunt huiusmodi potentiae effluere. » (*Summa th. 1. 2. q. 110. a. 4. ad 4.*)

**Obiectio IV.** — Bruta animantia vere sunt cognoscitiva. Atqui, hoc non obstante, eorundem anima a materia dependet, immo, plurimum Doctorum iudicio, materiae coëxtenditur. Ergo immaterialitas male aut dubie infertur ex cognitione.

Respondeo, *Dist. mai.* Bruta animantia vere sunt cognoscitiva, cognitione pure sensitiva, *conc.*; cognitione intellectuali, *neg. Conc. min. Dist. pariter conseq.*

Omnia et singula argumenta, quibus immaterialitatem principii intellectivi propugnāvimus, unice deducta fieri ex propria perfectione actus intelligendi et volendi; quare in toto suo robore permanent, praecisione facta a quaestione quae a multis in controversiam adducitur, an scilicet ex solo actu sentiendi legitima consecutione inferatur, non certe immaterialitas omnimoda, sed simplicitas saltem, secundum partes quantitativas, formalis principii sentientis. De hac re videri potest Silvester Maurus (*Qq. Philos. lib. 4. q. 27.*), I. B. de Benedictis (*Philos. Peripat. to. 3. lib. 4. q. 1. c. 6.*), M. Liberatore (*Instit. Philos. to. 2. Psych. c. 2. a. 3.*) (1), apud quos inventiuntur

(1) Franciscus Suarez aetate iunior (*De Anima*, lib. 1. c. 13.) dixerat cum S. Augustino (6. *de Trinit.* c. 6.), animam sensitivam perfectorum animalium esse indivisibilem et inextensam. At in *Metaph.* (D. 15. sect. 10. n. 32.) oppositam sententiam censuit probabilioiorem. Immo parum antequam e vivis decederet, conscribens priora capita 1. lib. *de Anima*, eam non solum probabilioiorem, sed (c. 2. n. 19.)

omnia argumenta quae pro utraque resolutione, affirmativa scilicet et negativa, afferri possunt. Ceterum, ex hoc ipso Doctorum magni nominis dissensu, consultius existimavimus *ex sola intelligentis natura* proferre argumenta in confirmationem nostrae thesisi; nempe ut rem gravissimam argumentis communi sapientum calculo probatis evinceremus.

## SECTIO II.

### *An et qua ratione principium intellectivum sit pars constitutiva humanae naturae.*

212. **Sententiae diversae.** — In sectione praecedenti substantiam seu essentiam principii vitae rationalis secundum se spectavimus. Opus est, quaestionem aggrediamur de unione ipsius cum humano corpore: inde enim propria ipsius differentia a substantiis spiritualibus separatis desumitur. Huius porro quaestionis resolutio omni aetate difficilis admodum visa est. Quare ipse Augustinus non dubitavit ita asserere. *Modus quo corporibus adhae-*

*probabilissimam* indicavit. Angelicus Doctor (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 8.*, *Qq. Disp. De Anima*, a. 10.), loquens de animalibus quae decisa non vivunt, docet, eorundem animam non posse dividi *prout dividitur numerus aut magnitudo*. Rationem vero huius asserti unice derivat S. Doctor ex eo quod talis anima requirit diversitatem in partibus, nec propterea indifferenter se habet ad totum et ad partes, sed per se primo est forma totius, ac per ordinem ad totum est forma partium: ex quo fit ut, partibus a toto separatis, remanere non possit. Quare sunt qui assertam a S. Doctore indivisibilitatem animae istorum animalium ex solum ratione intelligunt quae est in *minimo naturali*, quae coëxtenditur quidem materiae, sed huius divisione permanere non potest.



*rent spiritus, et animata fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest.* (21. Civ. c. 10.) Porro "difficultas huius quaestionis, ait S. Thomas, ex eo accidit, quia substantia spiritualis est quaedam res subsistens. Formae autem debetur esse in alio, id est in materia, cuius est actus et perfectio. Unde contra rationem substantiae spiritualis esse videtur quod sit corporis forma. " (Qq. Disp. *De spirit. creat.* a. 2.) Hinc duplex existit modus errandi in hac re.

Primo itaque aliqui attendentes ad unitatem maximam, quam irrefragabile conscientiae testimonium cuique renuntiat in rationali natura existentem, huius corpoream compositionem penitus neglexerunt, ut quae cum tali ac tanta unitate cohaerere non posse videatur. Huc maxime spectat celebris opinio Platonis, qui materiam ad essentiam hominis minime spectare affirmavit, hominem propterea unum idemque esse cum anima rationali definiens. Quare ex eius mente haec corpori unitur ut motor mobili, et nauta navi, instrumento scilicet separato. Vide sanctum Thomam (2. *Cont. Gent.* c. 57, 58).

Alii contra attendentes ad manifestam naturae compositionem quae in homine elucet, eius veram et propriam unitatem verbo dumtaxat retinuerunt. Huc generatim pertinent, diversa licet facie ac nomenclatione, systemata de unione animae cum corpore, quae, relicta veteri scholae de hac re doctrina, in recentiori philosophia post Cartesii tempora circumferri consueverunt. Nempe, ad humanae naturae constitutionem ex corpore et spiritu explicandam, non aliam unionem utriusque in medium proferunt, licet alii alio modo, nisi quae est duorum subsistentium secundum eundem effectum vel motum. Si quis bene consideret, hae diversae opiniones, ad modum unionis quod spectat, vix aut ne vix quidem a sententia Platonis abducent, cum hoc uno discrimine, quod iste ad tuendam, ut diximus, naturae humanae unitatem, eam in sola anima intellectiva absolvi autumavit, recentiores vero Cartesiani, de hac unitate nihil solliciti, corpus etiam ad humanae naturae constitutionem admiserunt. Confer M. Liberatore

(*Institutiones Philosophicae*, Psychol. c. 3. a. 1, 2.), ubi diversi modi qui ad hanc alteram classem opinionum pertinent, enarrantur.

Media incedit inter hanc duplicem errandi rationem sententia veteris Scholae, praesertim prout ab Aquinate luculenter exponitur. Nihil quippe in quaestione adeo gravi proferri potest, quod vel profundiorum ac veriorum solutionem suppeditet, vel cum aliis bene multis summi momenti veritatibus cohaereat magis. Totam porro hanc doctrinam duplici sequenti thesi comprehendemus.

## THESIS II.

*Fateri oportet, principium vitae rationalis in homine ita subsistere, ut sit vera ac substantialis forma corporis, ac propterea, spiritum licet, in vero ac proprio sensu animam quoque esse ac nuncupari.*

213. **Demonstratio.** — Quae sit vera et propria ratio animae seu corporis animati, suo loco declaravimus et vindicavimus [80, seqq.]. Ex quo patet, perinde omnino esse probare, principium vitae rationalis corpori coniungi ut veram substantialemque formam, ac propriam animae rationem ei adiudicare. Ad hoc porro demonstrandum plane sufficient argumenta quibus utitur Angelicus Doctor (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 1., Qq. Disp. *De Anima*, a. 1.).

**Argumentum I.** — Primo itaque id deducitur quasi corollarium ex generali doctrina, quam in superiori parte stabilivimus, de propria ratione naturae corporeae, praesertim organicae. Certum quippe est, humanitatem non esse ens quoddam artefactum, sed natura vere et proprie dicta constare. Est enim naturalis terminus generationis, vere et proprie eiusmodi, ac praeterea primo et per se motus principium habet: quorum neutrum convenit nisi rei quae natura constat [6]. Aliunde mani-



Testum est, dari in humanitate veram substantialemque compositionem ex materia et forma: secus nec generari nec corrumpi posset. Haec porro forma substantialis est ipsum principium vitae rationalis: siquidem inde natura humana sortitur speciem. Ad rem S. Thomas, \* Natura cuiusque rei ex eius operatione ostenditur. Propria autem operatio hominis, in quantum est homo, est intelligere: per hanc enim omnia alia animalia transcendit. Unde Aristoteles in lib. 10. Ethic. c. 7. in hac operatione, sicut in propria hominis, ultimam felicitatem constituit. Oportet ergo, quod homo secundum illud speciem sortiatur, quod est huius operationis principium. Sortitur autem unumquodque speciem per propriam formam. Relinquitur ergo, quod intellectuum principium sit propria hominis forma. » (*Summa th.* loc. cit.)

214. **Argumentum II.** — Confirmatur manifeste ratio facta, si praesertim advertatur, hominem non solum esse in genere corporis naturalis, sed viventis et sentientis. Certum siquidem est, corpus in homine esse substantiam vivam et sentientem. Ergo illud quo primo vivit et sentit, est vera eius forma substantialis. Atqui hoc non est aliud secundum essentiam a primo principio quo intelligimus. Ergo hoc corpori unitur ut vera eius forma substantialis. In hac rationatione primum antecedens est immediate notum: Priorem consequentiam ante demonstravimus [83]. Altera vero nota cuique est ex conscientiae testimonio. Nam unusquisque sentit et intelligit se sentire. Atqui hoc contingere minime posset, si principium sentiendi esset aliud a principio intelligendi: cum enim sentire et intelligere sint actus immanentes, impossibile est, principium intelligendi in se inesse consciat sensationem quae a principio a se diverso eliceretur. Huc redit argumentatio sancti Thomae. \* Manifestum est enim, id quo vivit corpus, animam esse. Vivere autem est esse viventium. Anima igitur est, quo corpus humanum habet esse actu. Huiusmodi autem forma est. Est igitur anima humana corporis forma. » (*Qq. Disp. loc. cit.*) Ut ante diximus [83, nota] S. Doctor supponit quod alibi docuerat (*Summa th.* 1. p. q. 18. a. 2.),

*vivum* seu *vivere* esse praedicatum non accidentale sed substantiale corporis viventis: quare id quod est principium formale eiusmodi praedicati, si vere est forma, substantialis sit oportet.

215. **Argumentum III.** — Speciatim denique ac proprio argumento haec veritas ostenditur ex ipsa operatione intelligendi, prout homini tribuitur. Placet id paulo latius evolvere, tum ut plenius intelligatur doctrina Aquinatis, tum quia sic excluduntur omnes modi quibus in hac re fuit erratum.

I. Primo itaque ut immediate notum hoc accipimus, unanquemque scilicet nostrum ipsum revera esse qui intelligit: id quippe ex immediato conscientiae testimonio cuique innotescit. Porro, cum dicitur ex. gr. Petrus intelligere, hoc profecto ei minime attribuitur *per accidens*, ea fere ratione qua dicitur ex. gr. album aedificare, quia accidit aedificatori esse album. Ratio est, quia intelligere attribuitur Petro, in quantum est homo. Atqui esse hominem non per accidens, sed per se, immo essentialiter praedicatur de Petro. Ergo intelligere attribuitur Petro per se, seu ratione suae essentiae.

II. Hoc autem contingere potest duobus modis. Primo, quatenus principium intellectivum sit tota essentia Petri: secundo, quatenus sit aliquid eius. \* Et primum quidem, ut efficaciter ostendit S. Thomas contra Platonem, stare non potest... propter hoc, quod idem ipse homo est, qui percipit se intelligere et sentire. Sentire autem non est sine corpore. Unde oportet, corpus aliquam esse hominis partem. » (*Summa th.* loc. cit.) Relinquitur igitur, principium intellectivum esse aliquid Petri.

III. Hoc posito, ulterius sic quaerimus. Vel principium intellectivum quo Petrus dicitur intelligere, est secundum esse divisum a Petro per modum alienius extrinsecus assistentis seu moventis, vel est Petro inexistens ut pars constitutiva ipsius. Atqui primum est manifeste impossibile. Repugnat enim in terminis, ut e duabus substantiis secundum esse divisus una dicatur operari, et quidem intelligendo, propterea quia altera operetur et intelligat. Est



ergo principium intellectivum pars intrinseca et constitutiva essentiae Petri.

IV. Iam age, id dupliciter adhuc intelligi potest. Uno modo sic, ut principium intellectivum et corpus sint duae res subsistentes: alio modo sic, ut ex utroque resultet una res subsistens indivisa secundum esse. Si primum dicatur, manifeste consequitur, Petrum non esse ens per se ac simpliciter unum [*Pr. Ph.* 453] contra manifestum conscientiae testimonium, quae non bina subiecta sed unum omnino plane indivisum operationum nostrarum sive inorganicarum sive organicarum renuntiat. Praeterea hic instaurari potest argumentum ineluctabile S. Thomae, quo pluries usi sumus. \* Impossibile est, quod eorum quae sunt diversa secundum esse, sit operatio una: dico autem operationem unam, non ex parte eius in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente: multi enim trahentes navim unam actionem faciunt ex parte operati quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multae actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum. *Cum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet quorum sunt diversae formae et virtutes, et actiones esse diversas.* Quamvis autem animae sit aliqua operatio propria in qua non communicat corpus, sicut intelligere, sunt autem aliquae operationes communes sibi et corpori, ut timere, et irasci, et sentire, et huiusmodi: haec enim accidunt secundum aliquam transmutationem alicuius determinatae partis corporis; ex quo patet, quod simul sunt animae et corporis operationes. Oportet igitur ex anima et corpore unum fieri, et quod non sint secundum esse diversa. (2. *Cont. Gent.* c. 57.)

V. His prae habitis, sic prosequimur. Naturaliter loquendo, unum subsistens ex pluribus dupliciter contingit. Uno modo per mixtionem mutuum, quemadmodum videre licet in corporibus elementaribus: alio modo per hoc quod unum sit actus seu forma substantialis alterius. Eset adhuc tertius modus, per unionem scilicet *hypostaticam*, sed hunc, utpote supernaturalem omnino et soli composito theandrico reservatum, in praesenti omitimus. Atqui ma-

nifestum est, substantiam intellectualem et corpus non posse invicem uniri per modum mixtionis. Ratio duplex est quam affert Angelicus. \* Quae enim, ait, miscentur oportet ad invicem alterata esse: quod non contingit, nisi in his quorum est materia eadem, et quae possunt esse activa et passiva ad invicem: substantiae autem intellectuales non communicant in materia cum corporalibus; sunt enim immateriales, ut supra ostensum est. Non sunt igitur corpori miscibiles. Adhuc, quae miscentur, mixtione iam facta, non manent actu, sed virtute tantum: nam si manerent actu, non esset mixtio, sed confusio tantum; unde corpus mixtum ex elementis nullum eorum est. Hoc autem impossibile est accidere substantiis intellectualibus; sunt enim incorruptibiles... Non igitur potest substantia intellectualis uniri corpori per modum mixtionis. (2. *Cont. Gent.* c. 56.)

VI. Corpus igitur et principium intellectivum mutuo ununtur ita ut unum altero subsistat, sicut eius forma substantiali. Est autem manifestum, id non posse asseri quasi corpus sit substantialis forma principii intellectivi; eo siquidem perficitur et specificatur. Relinquitur igitur unicus modus, quo corpus Petri eiusque principium intellectivum uniantur, ut vere dici possit Petrus reipsa esse qui intelligit, videlicet in eo situs, ut tale principium corpori uniatur tanquam vera ipsius forma substantialis.

216. *Obiectio diluitur.* — Nec refert communis obiectio initio [212] indicata quae in re praesenti fieri consuevit, quaeque sic habet. Si anima intellectiva est forma corporis, dicenda foret pars corporis, adeoque corporea. Atqui id repugnat spiritui. Patet enim solutio ex his quae ante diximus [21, seqq.].

Sic igitur dialectice respondeo. *Dist. 1<sup>am</sup> part. mai.* Si anima intellectiva est forma corporis, dicenda foret pars corporis quantitativa vel materialis, *neg.*; pars corporis per modum formae actuantis et perficientis, *conc.* *Dist. 2<sup>am</sup> part. mai.* Dicenda foret corporea, quasi, ut ceterae formae materiales, ipsa minime subsistat in suo esse, ac propterea totaliter a capacitate materiae comprehendatur, *neg.*; dicenda foret corporea, quatenus virtute con-



tinet quidquid requiritur ut sit vera et substantialis forma corporis, *conc. Contradist. pariter minorem.*

Egregie S. Thomas. "Considerandum est, quod quanto forma est nobilior, tanto magis dominatur materiae corporali, et minus ei immergitur, et magis sua operatione et virtute excedit eam. Unde videmus quod forma mixti corporis habet aliam operationem, quam elementa, quae non causatur ex qualitatibus elementaribus: et quanto magis proceditur in nobilitate formarum, tanto magis invenitur virtus formae materiae elementarem excedere, sicut anima vegetabilis plus quam forma elementaris, et anima sensibilis plus quam anima vegetabilis. Anima autem humana est ultima in nobilitate formarum. Unde tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquam operationem et virtutem, in qua nullo modo communicat materia corporalis, et haec virtus dicitur intellectus." (*Summa th. loc. cit.*) Confer quae S. Doctor habet (2. *Cont. Gent.* c. 68.), ubi hanc ipsam doctrinam latius et elegantissime evolutam invenies. Ex quo intelligitur, non sine magna ignorantia et temeritate, notam materialismi posse infligi doctrinae Aquinatis in hac parte. Origo tota difficultatis haec est. Videlicet ante omnia quis imaginatur, materiam corporalem unum idemque esse ac corpus plus minusve deforme: corpus vero ulterius imaginationi exhibetur, quasi res quaedam extensa et non aliud. Ex tali imaginandi modo id necessario fit consequens, ut perinde sit dicere animam rationalem esse partem corporis, ac si dicatur esse ipsius materiae pars eaque quantiativa, seu extensio subiecta: quod certe solus materialista effutiet. At enim qui sic rem imaginatur, profecto minime concepit, multoque minus refutat doctrinam Aquinatis, sed idolum quoddam a se confictum.

THESIS III.

*Animae intellectivae convenit esse corporis formam, non quasi per accidens, sed per se, seu ratione gradus suae intellectualitatis.*

217. *Explicatio et probatio.* — Haec questio necessaria est triplici de causa. Primo, ut reddatur vera ratio ontologica a priori, cur animae intellectivae conveniat esse corporis formam. Secundo, ut eluceat naturalis nexus qui existit inter cognitionem intellectivam animae humanae eiusque cognitionem sensitivam: quod certe nisi fiat, pro merito resolvi non poterit controversia suo loco pertractanda, de origine scilicet et modo humanae cognitionis. Tertio denique, ut invicem conciliantur asserta veritas de unione animae intellectivae cum corpore, et veritas suo loco asserenda de ipsiusmet animae immortalitate. Dicimus itaque, animae intellectivae, ipso spectato gradu quo secundum suae naturae ordinem substantiis intellectualibus accensetur, convenire ut non sit spiritus separatus, sed connaturalem habeat ordinem ad corporis informationem.

Generalis ratio haec est. Anima intellectiva, secundum naturae ordinem, infimum gradum obtinet in genere substantiarum intellectualium. Ergo naturaliter ei convenit accipere notitiam veritatis a rebus sensibilibus. Cum igitur natura non desit in necessariis, oportuit animam intellectivam non solum habere virtutem intelligendi, sed etiam sentiendi. Atqui sensatio nequit haberi nisi per principium quod corpori ut forma substantialiter uniatur. Ipsa igitur natura animae intellectivae ratione gradus suae intellectualitatis postulat, ut sit corporis forma. Ita fere S. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 5.*)

In hac ratiocinatione unice declarari debet prima con-



sequentia; cetera quippe vel probatione minime egent, vel iam demonstrata dedimus. Id porro ad vivum depingit, atque intuitu vere angelico ita demonstrat S. Thomas. \* Considerandum est, ait, quod etsi intelligere per conversionem ad superiora, (h. e. pure immaterialia), sit simpliciter nobilissimum, quam intelligere per conversionem ad phantasmata; tamen ille modus intelligendi, prout erat possibilis animae, erat imperfectior. Quod sic patet. In omnibus enim substantialibus intellectualibus invenitur virtus intellectiva per influentiam divini luminis: quod quidem in primo principio est unum et simplex; et quanto magis creaturae intellectuales distant a primo principio, tanto magis dividitur illud lumen et diversificatur, sicut accidit in lineis a centro egredientibus. Et inde est, quod Deus per unam suam essentiam omnia intelligit. Superiores autem intellectualium substantiarum, etsi per plures formas intelligant, tamen intelligunt per pauciores, et magis universales, et virtuosiores ad comprehensionem rerum, propter efficaciam virtutis intellectivae quae est in eis. In inferioribus autem sunt formae plures, et minus universales, et minus efficaces ad comprehensionem rerum, in quantum deficiunt a virtute intellectiva superiorum. Si ergo inferiores substantiae haberent formas in illa universalitate in qua habent superiores, quia non sunt tantae efficaciæ in intelligendo, non acciperent per eas perfectam cognitionem de rebus, sed in quadam communitate et confusione. Quod aliquoties apparet in hominibus. Nam qui sunt debilioris intellectus, per universales conceptiones magis intelligentium non accipiunt perfectam cognitionem, nisi eis singula in speciali explicentur. Manifestum est autem, inter substantias intellectuales secundum naturae ordinem infimas esse animas humanas: hoc autem perfectio universi exigebat, ut diversi gradus in rebus essent. Si igitur animae humanae sic essent institutae a Deo, ut intelligerent per modum qui competit substantiis separatis, non haberent cognitionem perfectam, sed confusam in communi. Ad hoc ergo, quod perfectam et propriam cognitionem de rebus habere possent, sic naturaliter sunt institutae, quod cor-

poribus uniantur, et sic ab ipsis rebus sensibilibus propriam de eis cognitionem accipiant, sicut homines rudes ad scientiam induci non possunt, nisi per sensibilia exempla. Sic ergo patet, quod propter melius animae est, ut corpori uniatur, et intelligat per conversionem ad phantasmata. (Summa th. 1. p. q. 89. a. 1.)

218. **Obiectio.** — Dices fortasse. Res ita si habet, dicere oporteret, animam a corpore separatam imperfectius intelligere, ac quando est corpore coniuncta. Hoc autem videtur inconveniens: nam, solius naturae ordine spectato, status separationis est status aeternus ac finalis, in quo solo potest anima obtinere suam felicitatem.

Respondeo, animae humanae connaturale esse, perfectionis suae complementum obtineat paulatim ac successive, ut observat S. Thomas (Summa th. 1. p. q. 85. a. 5.). Iam vero entibus quae sic ad statum perfectum pervenire debent, eo ipso connaturalis est, pro diversis temporibus, tum status perfectus, tum imperfectus, ea ferme ratione qua homini prius connaturalis est status infantis, deinde pueri, tum juvenis, ac demum adulti. Sic igitur animae humanae primo convenit, secundum suae naturae ordinem, modus intelligendi imperfectus, ratione cuius imperfectionis corpori unitur, ut dictum est. In hoc autem statu unionis disponitur ad perfectiorem modum intelligendi, qui ei convenire debet in statu futurae separationis, tum quia acquirit species experimentales rerum sensilium, quae invant ad perfectius intelligendum pro statu separationis, tum vero maxime quia acquirit merita, per quae evadit carior Deo adeoque obtinet ut praemium maiorem felicitatem naturalem consistentem in perfectiore cognitione Dei et intelligentiarum. Ita fere hanc difficultatem, gravissimam sane, egregie dissolvit Sylvester Mauro (Qy. Philos. to. 3. q. 3. ad 4.): quod paucis ita expresserat iam Doctor Angelicus. \* Dicendum, quod ultima perfectio cognitionis naturalis animae humanae haec est, ut intelligat substantias separatas. Sed perfectius ad hanc cognitionem habendam pervenire potest per hoc quod in corpore est, quia ad hoc disponitur per studium et maxime per me-



ritum. (Qq. Disp. *De Anima*, q. un. a. 13. ad 3.) Paulo aliter hanc difficultatem resolvit Suarez (*De Anima*, lib. 6. c. 9.): sed quod diximus videtur verius ac magis coherens cum subordinatione quae ex ipso naturae instituto existere debet partis inferioris ad superiorem.

### SECTIO III.

#### *Illata quaedam doctrinae in sectione praecedenti stabilitae.*

219. Cum doctrina sectionis praecedentis, tum in Philosophia, tum in Theologia, maximi sit momenti, et quasi fundamentum aliarum plurium, quaedam illata, duce Aquinate, inde derivabimus, quo et ea quae diximus clarius elucescant, et nonnullis obiectionibus hac in re fieri solitis praeccludatur aditus.

*Coroll. I. — Duplex unitas humanae naturae.* — Imprimis igitur patet ex dictis, qua ratione, non obstante vera compositione humanitatis ex duplici eoque substantiali principio, corpore scilicet et anima rationali, humanitas inde constituta sit natura vere ac simpliciter una. Ex unione quippe materiae et formae resultat principium per se unum, et ex utraque procedit una et indivisa operatio, non solum secundum unum operatum, sed etiam *propterea procedit ab agente*. Ex hac praeterea unione, in puris hominibus, consequitur alia unitas, *suppositi* scilicet seu *personae*. Ratio est, quia ut ait S. Thomas (*Summa th.* 3. p. q. 2. a. 5. ad 1.), *in puris hominibus, anima et corpus sic in eis coniunguntur, ut per se existant*. Individuo autem sic existenti optime congruit Boethiana definitio: *Persona est rationalis naturae individua substantia*. Confer quae in Philosophia Prima diximus [th. XI, XIII].

220. *Coroll. II. — Anima rationalis nec est persona, nec hypostaticae corpori unitur.* — Ratio primae

partis patet ex dictis. Est enim suapte natura forma corporis, ac propterea pars humanae speciei. Atqui ratio partis excluditur a ratione individui quae est propria suppositi vel personae. Et hoc valet etiam de anima separata: non enim per statum separationis desinit illud naturale incomplementum ratione cuius deficit a perfectione personae. Apposite S. Thomas. \* Nulla pars habet perfectionem naturae separata a toto. Unde anima, cum sit pars humanae naturae, non habet perfectionem suae naturae nisi in unione ad corpus. Quod patet ex hoc, quod in virtute ipsius animae est, quod fluant ab ea quaedam potentiae, quae non sunt actus organorum corporalium, secundum quod excedit corporis proportionem; et iterum, quod fluant ab ea potentiae, quae sunt actus organorum, in quantum potest contingi a materia corporali. Non est autem aliquid perfectum in sua natura, nisi actu explicare possit quod in eo virtute continetur. Unde anima, licet possit esse et intelligere a corpore separata, tamen non habet perfectionem suae naturae, cum est separata a corpore, ut Augustinus dicit 12. super Gen. ad litt. c. 35. (Qq. Disp. *De spirit. creat.*, q. un. a. 2. ad 5.) Hinc vero sequitur altera pars, qua scilicet inficiamur unionem animae cum corpore posse dici *hypostaticam*. Etenim, attento sensu huius vocis ab Ecclesia recepto, in unione hypostatica persona praesupponitur constituta ante unionem, etsi trahat ad suam substantiam naturam aliam; contra, in unione animae cum corpore, *persona humana constituitur et resultat ex ipsa unione*. Unionis hypostaticae exemplum unicum suppeditat Catholica Fides in admirabili Incarnationis mysterio. Verbum enim divinum sic humanitati unitur, ut post unionem verissimum sit dicere, *Christus est Verbum*, et vicissim: dum contra anima cum corpore sic unitur, in Petro ex. gr., ut nulla ratione affirmare liceat, *Petrus est anima*.

221. *Coroll. III. — Unitas formae in homine.* — Ut in rebus aliis natura constantibus, item in homine, corpus per unam eandemque formam constituitur non solum in sua specie specialissima, sed etiam in ceteris superioribus gradibus essentialibus. Quapropter secundum